

65. — 2^o Ex doctrina huiusce temporis communiter tradita. Etenim si inspiciantur scholae per totum orbem diffusae, in plerisque inveniatur tradita et propugnata *Probabilismi moderati* doctrina, praesertim Romae, quae merito haberi debet ut centrum scientiarum theologiarum, et ubi falsa doctrina et quidem publice, tacente Ecclesia, doceri profecto nequit. Sic pariter in tota Italia, Hispania, Germania, etc. — In ipsa quoque Gallia iam unanimi fere plausu in dies nunc excipitur *S. Ligorii* doctrina, quae sane a probabiliorismo prorsus abhorret.

3^o Ex approbatione Ecclesiae saltem implicita in approbatione operum *S. Ligorii*. Etenim solemniter declaravit sacra Rituum Congregatio, *Nihil esse censura dignum in operibus S. Doctoris*. Iterum in decreto *S. Poenitentiariae* (3. Iul. 1831.) a *S. P. Greg. XVI.* approbato, pro-

opinionem illorum reprobari, etsi B. Thomae opinio communius teneatur, quae tamen minus tuta videtur; dein ad id confirmandum, quod statuerat, scilicet quod cum bona conscientia potest quis tenere unam partem alicuius opinionis, et secundum eam operari,... praecipue quando quis adhibet diligentiam inquirendo, nec invenit aliquid, quod eum sufficienter moveat ad hoc quod sit illicitum, ista subiungit: *Item Ultricus in Summa dicit, quod si quis de aliquo agendo dubio magis peritos consulat, de quo nullam habet expressam auctoritatem, utrum ita sit, an non: dummodo formet sibi bonam conscientiam, etiamsi res aliter se habeat, quam id quod sentit, et quod sibi consultum fuerit, excusatur, quia fecit, quod potuit, et Deus plus non requirit. Item ex responsis, quae videntur data ab Alberto Magno, habetur, quod frater simplex vel quilibet homo cum salute potest sequi in consiliis quamcumque opinionem voluerit, dummodo alicuius Doctoris Magni opinionem sequatur. Hostiensis etiam dicit...: Ubi sunt diversae opiniones et diversa iudicia, semper humanior praeferenda et aequior... Guillelmus etiam in glossa Raymundi dicit, quod in apicibus iuris, ubi dubitant etiam sapientes, excusa-*

*bilis est ignorantia. Tamen si aliquis bona fide partem illam, vel illam elegerit, non debet super hoc habere conscientiam nimis scrupulosam. Item Petrus de Palude... dicit. Quod si confessor dubitaret, utrum illud, de quo confitens non poenitet, nec confitetur, esset mortale, et ipse confitens dicit, quod consilio peritorum illud fecit, de quibus ex vita et scientia probabile est, quod non consulerent nisi bene, illi iudicio se potest conformare. Idem videtur sentire Goffridus de Fontibus, in his scilicet opinionibus contrariis, quae tolerantur ab Ecclesia. Ita S. Antoninus; ex quibus satis patet, quantopere ii hallucinentur, qui initia huius doctrinae ac praxis Bartholomaeo Medinae, egregio alioquin theologo ex Ordine Praedicatorum, adseribunt, quasi primus eam invexerit. Ex superius enim allatis elucet manifesto, eam quoad substantiam vel scholasticae theologiae aevo antecessisse. Et digna sane, quae legatur, est Dissertatio, quam de hoc argumento edidit Christianus Lupus (*Opp.* Tomi XI. Diss. I.), in qua praeclare ostenditur, methodum solvendi quaestiones morales, quae ex principiis probabilismi petitur, etiam antiquissimis Ecclesiae Patribus, et quidem in gravissimi momenti rebus, maxime familiarem extitisse.*

fessor quivis theologiae sequi et docere potest omnes opiniones, quas in sua Theologia morali profitetur *S. Ligorius*, nec inquietandus est Confessarius qui easdem in praxi sacri tribunalis Poenitentiae sequitur (10).

III. *Argumentum ex consecrariis.*

66. — I. Sequeretur in systemate probabilioristarum difficultas nimis gravis pro Confessariis. Etenim Confessarius se exponeret periculo peccandi ob defectum sufficientis diligentiae in perpendendis variis gradibus probabilitatis, praesertim in materia restitutionis, quando ex duabus opinionibus aequae probabilibus unam sequeretur. Si enim sententiam benigniorem assumeret, peccaret illud permittendo, in quo deformitatem probabiliter existentem apprehenderet. Si iuxta sententiam rigidioris ageret, peccaret iugum incertum poenitenti imponendo (11). Insuper licet sententia rigidior ipsi appareat probabilior, quandonam certus erit, eam revera talem esse, atque alteri Confessario oppositam probabilioris non videri? Nec quisquam munus Confessarii subire posset, nisi forte ita versatus foret in theologia morali, ut distinguere inter opiniones probabiliores et minus probabiles certo posset: onus enim faciendi includit onus sciendi; paucissimi autem hoc praestare valent (12).

(10) Hue faciunt verba SS. D. N. Pii PP. IX. in litteris ad Petrum Scavini datis 7. Aprilis 1847.: *Tibi vehementer gratulamur, quod in hisce theologice Institutionibus conficiendis nihil antiquius habueris, quam salutare sanctissimi ac doctissimi viri Alphonsi Mariae de Ligorio doctrinas magis magisque propagare, usque ecclesiasticae praesertim iuventutis animos imbuere.*

(11) Exinde repetendum, quod Confessarii probabiliorismi principiis imbuti, et alioquin timoratae conscientiae, sacrum audiendi confessiones ministerium plerumque refugiant, diris nimirum angustiis vexati, vel certe universam operam excolendis in spiritu nonnullis devotulis impendant.

(12) De hac re ita S. Alphonsus (*Dissert.* edit. an. 1755. n. 17.): *Talis apparentia (maioris scilicet probabilitatis) nequit regulam certam operandi constituere, dum multipliciter fallere potest. Non*

enim raro aliqua opinio, quae alicui probabilior apparet, alicui minus probabilis apparebit: imo sibimetipsi opinio, quae heri minus probabilis erat, hodie probabilior apparebit.

Et rursus (ibid. n. 42.) reddens rationem, cur probabilior opinio obligare nequeat, eandem rationem affert: *Nam aliqua opinio, quae mihi est probabilior, minus probabilis saepe aliis erit; et ideo lex esset particularis pro iis tantum, quibus illa opinio probabilior appareret. Sed hoc utique esset contra naturam legis, quae ad commune bonum debet esse necessario universalis, et universim proposita, ne populus, qui ad illam observandam tenetur, saepius divisus sit et perplexus circa veritatem amplectendam; dum quisque concionator aut confessarius ex opinionum diversitate iuxta suum sensum saepe fideles instrueret.*

Solvit deinde S. Doctor obiectionem, ostendens hisce incommodis eos tantum

Hinc sequitur etiam illa contradictio Confessoriorum, qui utut probabiliorum profitentes, haud raro tamen dietitant, se non posse in admi-

premi, qui obligationem quampiam ex opinione probabiliorum volunt oriri. Ita ille (ibid. n. 43.): *Nec valet dicere, quod sequendo benignam sententiam* (quae sit benigna sententia, vid. sup. Not. ad thesim IV.) *etiam difformitas intercedere potest, cum eadem opinio alicui probabilis videri possit, alteri improbabilis. Non negatur, hoc accidere posse; sed semper verum erit, quod cum aliqua opinio pollet solida probabilitate, et certo gravi nititur fundamento, ipsa apud maximam partem sapientum probabilis existimabitur: idque iam satis erit, ad conservandam universalem uniformitatem observantiae legis, non obstante quod apud aliquem particularem illa non sit probabilis; id enim, quod raro accidit, universalem conformitatem non aufert. Hoc tamen certe non evenit circa aestimationem opinionum probabiliorum; quia cum maior vel minor probabilitas pendeat a moralibus motivis, nempe a iudicio et ponderatione rationum, quas alii deducunt ex uno principio, alii ex alio, non raro, sed communiter accidit quod quae uni est validior, alteri debilior appareat.*

Innuat insuper S. Doctor difficultates atque incommoda, quae consequerentur necessitatem, si qua foret, certo determinandi, quanam opinio prae opposita vere sit probabilior. Ita ille (ibid. n. 48): *Quod AUTEM FIAMUS CERTI, QUOD ALIQUA OPINIO... SIT VERE PROBABILIOR, VEL HABEAT REQUISITAM PRAEponderantiam, hoc est MORALITER IMPOSSIBILE. Vel enim praeponderantia illa est parva; et quis securus erit, opinionem esse vere probabiliorum? Cum enim excessus sit modicus, difficile potest certo percipi. Aut praeponderantia est magna; et quis iudicare poterit, eam pertinere ad suffi-*

cientem mensuram, ita ut opinio tutior (in re praesenti dicamus, opposita, seu minus tuta) iudicetur falsa aut saltem tenuiter probabilis? Et sic semper cum dubio practico agere deberemus.

Exinde circa angustias, quas importaret obligatio et noscendi et sequendi probabiliora, S. Doctor haec affert (ibid.) ex P. Segneri: *Vel teneor sequi probabiliores in se, et tunc quando sciam, quae opinio sit vere probabilior tot in casibus, ubi graves occurrunt rationes et auctoritates hinc inde oppositae? Vel probabiliores mihi, et angustiae auferentur; nam saepe mihi oportet iudicare, meam opinionem esse probabiliorum contra aliam plurimum sapientum sententiam; et tunc quis me tutum reddet, quod mea opinio sit certo probabilior, et notabilior cum illa notabili praeponderantia, quam aliqui ex adversariis requirunt? Quomodo certus fiam, quod ipse rationes oppositas bene intellexerim et bene solverim? Quod dictamen conscientiae, quod mihi formavi sit satis certum ac tutum? Quod hallucinatus non fuerim a proprio sensu, ita ut, si errem, error meus sit vere invincibilis et inculpabilis?*

Hiscie autem incommotis carere communem sententiam, sic S. Doctor prosequitur (ibid. n. 50.): *Illi autem periculo... non se exponunt, qui sequuntur opinionem certo probabilem, licet minus. Quia postquam ipsi certi sint facti de probabilitate opinionis, non tenentur maiorem adhibere diligentiam. Quando enim opinio aliqua nititur gravi ac certo fundamento, non adest amplius moralis sive prudens spes inveniendi veritatem certam; et ideo si falluntur, invincibiliter falluntur.*

nistracione sacramenti Poenitentiae principia probabiliorum *rigorose* (13) applicare; et ideo aliud in theoria, aliud vero omnino oppositum in praxi tenent. Nec desunt, qui in angustiis constituti, facile id probabilius iudicent, quod alias minus probabile haberent. Nonne praestaret principia mitiora cum tot sapientissimis Doctoribus statuere et admittere, eaque *exactius* in praxim deducere?

67. — II. Sequeretur molestissima difficultas pro fidelibus. Etenim in

(13) Principia probabiliorum *rigorose* admissa, prouti nempe a vetustis auctoribus, v. gr. Gonzalez, Antoine, Gennett, Sinnichio, etc. propugnabatur, alio laborant incommodo, eoque non levi, quod etiam S. Alphonsi oculus non praeterfugit (Conf. Ind. Auctor., quem P. Michael Haringer praefixit S. Alphonsi Theologiae. V. Gonzalez, pag. LXV, Edit. Ratisbon. 1846). Etenim non diffitentur, nec dimitti id queunt, quod in confesso apud omnes est et esse debet (Vid. sup. n. 39. cum not.), *ut actus honestus sit, certam de honestate ipsius conscientiam prorsus requiri.* Aliunde vero ad hanc certitudinem de honestate actionis acquirendam praesidium aliquod e principis reflexis sicut impugnant in adversariis, ita pro se invocare neque volunt neque possunt. Necessariam igitur eiusmodi certitudinem prorsus a principis directis, seu a cuiusque materiae intimis ac propriis rationibus mutuenter, oportet. Hinc illud Antoine (*De Consc.* cap. 4. q. 1.): *Non licet (sequi conscientiam probabilem), nisi probabilitas sit tanta, ut excludat omnem formidinem rationabilem falsitatis, et pariat certitudinem saltem relativam quia, ut dixi cap. 2., ad non peccandum requiritur iudicium certum saltem certitudine morali, qua prudenter excludatur dubitatio et peccati formido saltem rationabilis.* Et rursus (q. 3. n. 4.) reddit rationem, quia *opinio aequae tantum probabilis stans pro libertate non potest asferre certitudinem moralem, quae saltem requi-*

ritur ad non peccandum. Nec aliter Gonzalez in ipsa operis sui fronte sibi probandum assumit, *ut quis licite possit sequi opinionem probabilem faventem libertati... omnino necessarium esse, quod opinio illa... ab ipso iudicetur vera iudicio absoluto, firmo et non fluctuante:* qui sane sunt certitudinis characteres. Hinc postquam contendit (disp. IV. §. XIII. in titulo) *necessarium ad recte operandum esse iudicium practicum certum et evidens,* addit (Vid. Index V. Reflexio) *oportere, ut operans opinionem faciat suam per assensum directum.* At enim ex omnium sententia (Vid. S. Alph. Hom. Apost. Tr. 3. n. 2., et Viva ad Prop. 3. Alexandri VIII. n. 2.) in hoc differt sententia saltem *moraliter certa* ab opinione *probabilissima*, quod illa omnem de opposito prudentem formidinem excludat, non item ista. Ergo ex istorum non modo sententia et expressis verbis, sed etiam ex intrinseca ipsius systematis vi ac natura consequitur, ad recte operandum ne probabilissimam quidem opinionem sufficere. Hinc vero illud S. Alphonsi (l. c.): *Nescio quomodo praefati auctores, asserendo, quod non licet uti ad agendum nisi sententiis moraliter certis, cum sic revera penitus usum opinionum probabilium reprobent, quamvis in verbis videantur admittere; nescio, dico, quomodo excusari possint a propositione damnata, quae dicebat (est III ex XXXI ab Alexandro VIII proscriptis): Non licet sequi opinionem inter probabiles probabilissimam.*

dubiis imponeretur ipsis obligatio inquirendi, quaenam opinio sit probabilior; quippe obligatio operandi secundum probabiliozem, includit necessarium officium eam inquirendi: porro plerumque datur impossibilitas moralis distinguendi inter probabiliozem et minus probabilem; nam etiam doctis hoc valde difficile saepius est. Et sane quaero, an teneam ad probabilius *in se* seu *absolute*, vel *quoad me* seu *relative*? Si *prius*, unde noscam? Si *posterius*, iterum vel agitur de probabilitate intrinseca, vel extrinseca. Si de *posteriori*, qualis schola sequenda?... quales Doctores interrogandi?... Si de *priori*, crescit difficultas: unde sciam, an sim satis ad hocce iudicium idoneus? an in ignorantia invincibili verser, vel non? Anceps igitur, dubisque pressus, quid agam? Recurram ad Magistros? At ex hypothesi meum est iudicare. Quot itaque, quantaque angustiae impendeant fidelibus ex illa necessitate probabilius tutiusve sequendi, manifestum fit. — Segneri, *Opusc. de probab.*

68. — III. Sequeretur fluctuatio perpetua doctrinae. Ex probabiliorismo enim sequitur perpetua fluctuatio doctrinae inter ipsos probabilioristas, uti comprobatur quotidiana experientia. Sed et ex ipsa natura probabiliorismi oritur ista discrepantia. Impossibile est siquidem, ut reipsa conveniant; nam posita obligatione sequendi opinionem, quae cuique probabilior apparet, necessario alii pro affirmativa parte, alii pro negativa resolvent. Ligabit unus, solvet alter: et quod tibi probabilius apparebit, facillime alteri aequae vel minus probabile videbitur. Hinc sequentur confusio decisionum, perplexitas fidelium, et angustiae ipsorummet Confessariorum, qui ex putatio aliquo probabilitatis excessu gravissimas obligationes imponunt. Probabilismus vero bene intellectus huiusmodi incommodis, saltem plerumque, caret. Duo enim tantum sunt probabilistis perpendenda, scilicet obligationes certae, et obligationes mere probabiles. Quamvis vero non semper constet de vera probabilitate, nemo tamen non videt, ordinarie loquendo multo facilius esse discernere, an solida ratio vel auctoritas contra legem habeatur, quam de excessu aliquo probabilitatis iudicium proferre. Ergo... etc...

69. **Obiectiones.** — *Obiic. 1^o Ex Scriptura sacra, Eccli. 3. 27: Qui amat periculum, in illo peribit.* Atqui probabilistae amant periculum sequendo opinionem aequae vel minus probabilem. Ergo... — *Eccli. 37. 20: Ante omnia opera tua verbum verax praecedat te.* Atqui in probabilismo non est verbum *verax*. Ergo... — *1. Thess. 5. 22: Ab omni specie mala abstinete vos.* Atqui probabilistae permittunt sequi *speciem mali*. Ergo...

Resp. 1^o Quid ad rem? Inanis et vacua applicatio!

Resp. 2^o Retorqueo. Haec enim obiecta Scripturae loca, sic intellecta, ne permetterent quidem usum probabiliorismi. Nam in opinione probabi-

liori contra legem adest *periculum peccati* (14), *verbum non verax...*, *species mali...*

Resp. 3^o Directe. Ad primum: agitur ibi de impenitentia finali, ut patet ex contextu: *Cor durum habebit male in novissimo; et qui amat periculum, in illo peribit.* Insuper nullum adest periculum, ubi nullum deprehenditur peccatum.

Ad secundum: verbum *verax* apud nos est ipsum principium reflexum, quod parit certitudinem practicam, et proinde actus ex eo positus veritati conformis est.

Ad tertium: abstinere a specie mala qui hoc peragit, in quo nullum videt peccatum; tunc enim nec *peccati speciem* cernit.

70. — *Obiic. 2^o ex Iure canonico.* In Iure canonico haec regula passim traditur: *In dubiis pars tutior eligenda est.* Sic in cap. *Illud Dominus, de cler. excomm.*

Resp. 1^o Retorqueo. Si res ita sit, iam nec tibi quidem licet sequi opinionem utut probabiliozem contra legem, quia non est *via tutior*. Consequenter tibi confugiendum erit ad tutiorismum. Sed systema illud est damnatum. Quid igitur facies? Tu videris.

Resp. 2^o Directe. Agitur in praefata regula de dubio practico, non vero de dubio speculativo, in quo ope solidi motivi conscientia efformari potest, vel etiam agitur de casibus in quibus finis est necessario obtinendus. Ita S. Lig. *Obiic. IV. (15).*

Obiic. 3^o ex Patribus. Proferuntur multa Patrum testimonia quae probabiliorismo patrocinari videntur, apud Collet, Concina, Billuart, etc.

Resp. 1^o Eadem sit responsio generalis, ac in obiectione praecedenti.

(14) Quinimo S. Alphonsus (*In system. mor.*) argumento ad hominem advertit, ab eiusmodi periculo ne eos quidem esse immunes, qui alioqui opinionis usum contra legem tunc solum licere tenent, quando haec probabilissima est. Sic enim ratio-cinatur. *Sicut probabilissima opinio non caret omni prudenti formidine, quod sit falsa, ita opinio probabilissimae opposita non caret omni prudenti motivo, quod sit vera... Nunc peto... quomodo qui censet illicitum se exponere periculo legem transgrediendi, volens probabilissimam sequi, poterit unquam in praxi cum tranquilla conscientia induci ad firmiter*

credendum, quod opinio stans pro lege non sit vere probabilis? Ubi stateram inveniet tam exactam, quae ipsum reddat securum, quod opinio stans pro lege careat tanto probabilitatis pondere, quod illam efficiat probabilem?

(15) S. Alphonsus (*Moral. System. n. 79.*) respondet, ex DD. sensu fere communi *regulam praefatam canonum quoad dubia speculativa esse de consilio, non de praecepto.* Quod quidem non de obiecto solum effato, sed et de aliis eiusmodi, qui ex ss. Canonibus depromi solent, intelligendum S. Alphonsus tradit.

Plerumque enim Patres loquuntur de casibus particularibus dubii practici, vel ubi finis necessario obtinendus est.

Resp. 2^o Non desunt Patrum alia testimonia probabilismo evidenter faventia. Satis sit pauca referre. — S. Aug. Epist. 54. (alias 118.), c. 2. ait: *Quod neque contra Fidem, neque contra mores esse convincitur, indifferenter habendum est.* — S. Greg. Naz. orat. 39. dicit: *Quod si dubia res est, vincat humanitas et fragilitas.*

71. — *Obiic.* 4^o Opinio probabilis non remanet probabilis in concursu probabilioris; minor enim probabilitas a maiori eliditur et destruitur. Ergo....

Resp. Neg. Etenim si elideretur minor probabilitas, iam maior probabilitas evaderet certitudo, seu dubium prudens excluderet. Hoc autem esse falsum manifeste patet (16). Insuper rationes ex principiis disparatis et non subordinatis petita, se invicem elidere nequeunt. Rationes enim meae, non obstante opposita probabilitate, in toto suo robore stabunt, usque dum eas esse falsas probaveris.

Obiic. 5^o Probabilistae non agunt ex *moralī certitudine*, ne ex principio quidem reflexo, cum opinionem suae oppositam improbabilem dicere nequeant. Ita Billuart, art. 2. et Gerdil, c. 6.

Resp. 1^o *Retorqueo* ex paritate rationis. En igitur difficultas tibi prius solvenda.

Resp. 2^o *Directe.* Principium nostrum reflexum istud est: *Non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet, seu lex incerta certam obligationem imponere nequit.* Porro principium hoc inconcussum est cum non possit negari, quin sibi contradicant negantes. Imo adversarii nullo alio principio reflexo prudenter inniti possunt (17).

(16) S. Alphonsus obiicientibus, quod maior probabilitas elidat minorem; unde fit, quod cum opinio pro libertate sit minus probabilis, evadit improbabili respectu ad opinionem probabiliorē pro lege, quae tunc unice sibi valet trahere mentis assensum, sicut maius pondus unice sibi lancem inclināt quamvis in altera lance esset aliud pondus sed minus grave; reponit (*Dissert. edit. an. 1755. n. 13.*): *At recte respondent AA. nostri, falsum esse, maiorem probabilitatem elidere minorem, nisi quando illa minor probabilitas ex eodem principio hauriatur, vel nisi opinio probabilior ha-*

beat pro se tam convincens argumentum, ut contraria vere improbabili vel non amplius graviter et certo probabilis videatur. Secus tamen dicendum, si excessus non sit notabilis, et probabilitas opposita ex diversis principiis, ut fere semper accidit in opinionum concursu, vim accipiat; tunc enim opinio minus probabilis gravi sua probabilitate minime destituitur... Haec responsio utique recta est, et omnino evincit, quod maior probabilitas alicuius opinionis minime reddat oppositam improbabilem.

(17) Probabilioristae genuini, qui nempe sectentur principia illius theoriae propria,

72. — *Obiic.* 6^o Imprudenter agit probabilista non sequendo opinionem verisimiliorem, et agit contra conscientiam faciendo id quod probabiliter, vel etiam probabilius est peccatum (18).

non admittunt neque admittere ullum usum reflexorum principiorum possunt; secus enim vietas dare manus adversariis necessario cogerentur. Vid. sup. Not. ad §. 66.

(18) De huiusmodi obiectione ita S. Alphonsus (*Dissert. edit. an. 1755. n. 35.*): *Obiiciunt, quod veritas cognita procul dubio sequenda est. Sicut igitur quando veritas certa apparet pro lege, tenemur eam sequi; ita et quando res apparet verisimilior. Et respondet: Sed negatur paritas: quando apparet veritas pro lege, utique tenemur eam sequi, quia tunc lex manifeste apparet, unde nemo potest sibi rectam conscientiam formare (scil. de non existentia aut dubietate legis). Secus, si res tantum apparet verisimilior; tunc enim cum veritas verisimiliter stet etiam pro altera parte, lex est dubia; et ideo in isto casu vel non adest lex, vel non obligat. Et rursus (ibid. n. 54.): Et sic respondetur ad obiectionem dicentium, quod cum sit obligatio sectandi veritatem, tenemur sequi quod verisimilius nobis videtur. Nam, ut supra diximus, duae veritates sunt omnino distinguendae, veritas opinionis, et veritas honestatis quoad usum opinionis. Utique tenemur sectari quod verisimilius apparet circa veritatem honestatis usus, non autem semper quod apparet verisimilius circa veritatem opinionis: unde bene potest haberi formido de rei veritate, et certitudo de honestate actionis; quia pluries, esto, lex probabilius videatur adesse; tamen probabilius erit, eam non obligare; et ex eo formamus iudicium practicum moraliter certum de licito: quare non est idem facere con-*

tra conscientiam, et facere contra id quod probabilius apparet.

Et rursus (ibid. n. 31.): *Nec valet dicere quod cum apparet probabilior aliqua opinio pro lege, tunc maior illa probabilitas legem declarat, scientiamque legis iam exhibet. Nam scientia, uti patet, importat certam notitiam de existentia legis; opinio autem etiam probabilior cum non removeat prudentem formidinem oppositam, est toto caelo diversa a scientia, quae omni prudenti formidine exclusa praefert certitudinem. Quando igitur in aliqua quaestione non adest scientia legis, tunc lex vel non adest, vel non obligat.*

Et rursus (ibid. n. 34.): *Si pro opinione probabiliori intelligunt (Adversarii) eam, quae magis verisimilis apparet, etsi contraria etiam suum retineat fundamentum; tunc dico, quod si pro libertate possumus hanc probabiliorē sequi, possumus et minus probabilem. Ratio est, quia concessio, quod liceat operari cum probabiliorē, concedendum est, quod lex in dubio non possideat.*

Et rursus (ibid. n. 17.): *Opinio probabilior non potest dici opinio vera: alias opinio probabilior esset veritas manifesta, quod repugnat, cum veritas manifesta sit proprie scientia, non opinio; sed semper dici debet probabiliter seu fallibiliter vera. Nam cum ipsa a motivo fallibili ortum habeat, et fines probabilitatis non excedat, infertur, quod opinio contraria sit etiam probabiliter vera. Ex quo evenit, quod magni Auctores, licet aliquam sententiam probabiliorē iudicent, contrariam tamen non dubitent vo-*

Resp. 1^o Retorqueo. Nonne tu pariter agendo id, quod est probabiliter contra legem, imprudenter te geris?

Resp. 2^o Directe. Non agit imprudenter ille, qui nullam cernit obligationem in oppositum, nec proinde agit contra conscientiam, cum nullam deformitatem aut ullius legis transgressionem in sua actione deprehendat.

Obiic. 7^o Probabilista vult obiectum, quod novit probabiliter esse materialiter malum: ergo vult etiam malum formale, quod a materiali cognito separari nequit.

care satis vel valde probabilem, prout De Lugo, De Poenit. Disp. 17. n. 107.

Et rursus (ibid.): *Quando adsunt duae opiniones, altera magis, altera minus probabilis, tunc non fit comparatio inter veritatem et falsitatem; atque adeo si minus probabilis eligitur non ideo praefertur falsitas veritati; sed fit comparatio inter duas apparentias veritatis, quarum licet una videatur maior, quam altera, utraque tamen videtur magna, ita ut utraque probabiliter sit vera; qua de re eodem tempore, quo opinio probabilior apparet verisimiliter vera, apparet etiam verisimiliter falsa, et opinio opposita apparet verisimiliter vera.*

Et rursus (ibid. n. 17.) interrogat: *Ad quid igitur deservit probabilitas illa minor, quando per se loquendo non possumus eam sequi (quia scilicet per se non parit certum iudicium de actus honestate?)* Et respondet: *Deserviet ad ostendendum, quod veritas verisimiliter potest pro illa stare, et consequenter quod lex eo casu, cum sit dubia, non obliget. Unde tunc non quidem dicitur opinio minus probabilis esse vera; sed rationabiliter credendo, quod sit verisimilis, verum esse iudicabitur, hominem non teneri ab usu illius abstinere, non obstante quod opinio pro lege verisimilior appareat. Nam talis apparentia nequit regulam certam operandi constituere, dum multipliciter fallere potest.*

Et rursus (ibid. n. 32.): *Quando, inquit (adversarii), pro lege probabiliter*

opinio seu ratio assistit, sat illa legem elucidat, et ad legem obstringit. Et respondet: Sed primo negatur omnino, quod huiusmodi legis declaratio dubia, utpote orta ex opinione fallibili, etsi probabiliori, ad legem obligare possit. Nam in rebus dubiis declaratio legis se habet ut nova lex; et ideo sicut lex ad obligandum debet esse certa, ita et declaratio... Ratio, quia cum dubium vertitur, an lex casum aliquem comprehendat, nec ne; dubia evadit ipsa lex, an respectu ad casum illum adsit, vel non. Propterea declaratio, quod tunc locum habeat lex, debet pariter, prout lex, esse certa et infallibilis, ut possit obligare; nam alias ad legem dubiam obstringeremur. Respondetur secundo, et quaeritur: quisnam hanc legis declarationem fecit de se aptam ad obligandum? Non fecit Deus; non Pontifex; non illa quidem maior probabilitas pro lege apparens. Nam aliqua opinio, quae mihi est probabilior, minus probabilis saepe aliis erit.

Et rursus (ibid. n. 38.): *Patet igitur ex praefato textu D. Thomae, legem non posse dici satis intimatam per solam opinionem probabiliorum; cum enim opinio necessario formidinem in oppositum includat, ut supra ostendimus, nunquam scientia dici valet. Ergo etiamsi alicui probabiliter appareat, adesse legem prohibentem nequit tamen dici, quod ipse legem sciatur, quando probabiliter adhuc putat illam non existere et forte revera non existet.*

Resp. 1^o Retorqueo. Tu vero nonne simili laboras incommodo? Etenim etiam probabiliorum opinionem sequendo contra legem, nonne vis deformitatem materiale saltem probabilem, et consequenter formalem? Numquid probabilitas, quae paulo maior tibi apparet, periculum violandae materialiter legis tollere potest?

Resp. 2^o Directe. Neg. ant. Probabilista non vult deformitatem ullam, ne materiale quidem. Etenim cum deformitas obiectiva sit dubia, actus potest esse bonus. Ergo si potest esse bonus, potest non intendi et reapse non intenditur ut malus: siquidem simpliciter ignoratur ut malus: et deformitas ignota obiectum voluntatis esse nequit.

73. — *Obiic. 8^o Adhibenda est cura maior animae, quam corporis.* Porro quis aegrotans eligit remedium minus efficax, et relinquit probabiliter efficax, nisi insaniat? Sic *Collet* cum aliis non paucis.

Resp. 1^o Retorqueo. Quis aegrotans sanae mentis sumit remedium probabiliter nocivum, relicto remedio certo? Nonne tutius praefendum est?

Resp. 2^o Directe. Quid ad rem? Insignis cavillatio! Quis non videt, nisi omnino caecutiatur, usum probabilitatis hac in re esse prorsus illicitum? Numquid probabilitas maior vel minor in causis physicis avertere potest periculum noxii effectus qui timetur? Ergo negandum est suppositum cum paritate.

74. — *Obiic. 9^o Iudex in ferenda sententia debet sequi opinionem probabiliorum, ut patet ex sequenti propos. ab Innoc. X. damnata: Probabiliter existimo, iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem.* Ergo non licet sequi opinionem minus probabilem.

Resp. Exemplum nihil facit ad rem, et *Neg. conseq.* Ratio damnationis huius propositionis est, quia iudex ab auctoritate constituitur, ut unicuique ius suum tribuat; porro ius maius habet ille, cui maior favet probabilitas, seu potior ratio. — *S. Lig. lib. 4. n. 210.* Ut exemplum esset ad rem, proferri deberet casus, ubi de solo licito vel illicito agitur.

ARTICULUS III. — DE USU PROBABILITATIS, ET DE REGULIS SPECIALIBUS AD CONSCIENTIAM IN DUBIIS EFFORMANDAM.

75. — Praeter principia generalia, quibus theoria probabilismi statuta est in articulo praecedenti, scilicet: *Non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet, vel lex dubia non obligat,* recensentur etiam nonnullae regulae speciales, quibus ea principia confirmantur, vel in particularibus casibus applicantur. Sunt autem sequentes:

I. *In dubio standum est pro eo, pro quo stat praesumptio.* Ratio est, quia praesumptio plerumque efficit certitudinem moralem saltem latam. Hinc si soleas tali tempore diligenter recitare Breviarium, et dubites an